

to criminaliter iudicaturus ob oculos ponit, neq; enim propter vagam casuina varietatem æqualis sententia omnibus facti speciebus sine enormi iniquitate applicari potest. Quando furtum primum simplex, parvum, hoc est, infra quinque florenos committitur, tunc fur aut manifestus est, de quo agitur *art. seq. 158.* aut non. Si posterius, rursus aut solvendo est, aut contra. Isto casu ad dupli præstationem, si modò non effracturam, neque adscensum fecerit, parti læsæ, hoc verò in pœnam deficientis dupli, vel simpli ad carcerem cum religiosâ de non offendendo promissione, & ad simpli restitutionem à Judice condemnabitur, & hoc casu fur è carcere non dimittitur, nisi alimentorum nomine, & si quid pro more recepto publicis ministris debetur, satisfecerit; quippe cum hujusmodi fur de suo alendus, & incarcerandus est sine Magistratus, & accusatoris sumptibus. Pessima igitur consuetudo invaluit, ut minimarum etiam rerum fures morte plectantur, & ita eripitur id, quod nunquã mortalibus reddi potest, *Franc. Patric. de instat. Reip. lib. 3. p. 86.*

2. De distinctione furti in manifestum, & non manifestum agit *Zieritz. hic, verb. nec deprehendatur.* Disputant Dd. circa hunc locum, quinam, & quales intelligendi sint solidi? quorum Imp. Fridericus Barbarossa, & ita primus, non secundus, *Kitzel. de privil. stud. thes. 1. in usibus feudorum, §. si quis quinque solidos, 6. de pace tenen.* (quem §. alii de furto seditioso exaudiunt, *Hieron. Treutl. vol. 2. disp. 30. th. 39. Henr. Bocer. class. 4. disp. 1. th. 92.* Ego tamen in contrariam transeo opinionem. Nam, præterquam, quod verba ipsa *d. §.* non de violatore pacis, sed simplice loquuntur fure, etiam distinctio quantitatis, quâ Imp. utitur, facit, ut ad crimen pacis publicæ, quippe quod per se capitale est, trahi nequeant, *arg. tot. tit. ff. & C. ad L. Iul. de vi publicâ*) non mentionem facit, quorum loco Carolus V. florenos substituit. Multi solidum pro asse, seu grosso Misnico, alii pro aureo usuali accipiunt. Vide *Nicol. Boër. decis. 327. num. 1. 2. 3.* Et quamvis certi quid hac in re facile statui nequeat, cum apud diversos Impp. diversisq; temporibus varius fuerit solidi valor, putarem tamen ego, quantum in re dubiâ conjicere licet, tale monetæ genus notari, quod aureo (Ungarico) respondeat, ut pro viribus severitas pœnæ mitigetur, & in odiosâ materia favorabilior interpretatio admittatur, *l. interpretationem. ff. de pœn. §. ult. Inst. de pœn. tem. litig. l. penult. & ult. ff. de in jus voc. l. 5. ff. de his, qui effud. vel deiec. Confer l. quotiescunq; C. de suscep. præpos. & arc. Dan. Moller. 1. semestr. 37. Sneid. Inst. de donat. §. 2. num. 2. Wesenb. par. ff. donat. num. 6. A. & par. ff. de furt. num. 15. Bernh. Wurmb. lib. præct. obs. tit. 49. de V. S. obs. 11. Treutl. vol. 2. disp. 19. th. 6. c. Iacob. Alem. in palest. consult. conf. 8. quæst. princ. 1. part. 9. pag. 430. cum seqq. Steph. hic, artic. 160.*

ARTICULUS CLVIII.

De furto manifesto primâ vice commisso.

Jam & si fur in prædicto primo furto quinque florenos non excedente, antequam ad suam custodiam perveniat, deprehendatur, aut vociferationem, seu